

AUCTIONARIUM

CONCIO I

QUAM SIBI IPSI DEPLORANDUS SIT PECCATOR.

Quædam ad hunc finem consideranda. — I. Cogitet peccator quam temerarius fuerit. II. — Quam iniquus in Deum sit. — III. Quam ingratus Deo. — IV. Quam stultus. — V. Quot gehennas meritis.

THEMA.

Tu quis es? Joan. I.

Bonifacius papa V. ad Edelburgam reginam Eduini Angliæ regis neophyti conjugem scribens, sub finem addit: *Benedictionem etiam protectoris nostri B. Petri ad vos direximus; speculum scilicet argenteum et pectinem eburneum inauratum.* Refert venerabilis Beda Angli. hist. l. II. anno 625. Surtius in vita sancti Paulini Eboracens. episcopi X. Octob. Non arbitror sine causa, adeoque sine mysterio hæc duo, levia alioquin, dona ad reginam a summo Pontifice missa esse. Videtur enim mihi Bonifacius insinuare, duo hæc Christiano magnopere necessaria esse, unum ut se contempletur in speculo ut videat nævos ac peccata sua; alterum ut pectine purget caput suum, salutari pœnitentiâ. Quoniam ergo nos ad instantia festa paratos esse docet. Sic enim monet intonans hodie Ecclesia: *Prope est jam Dominus, venite adoremus.* Et Joannes: *Parate viam Domini,* video hæc duo nobis valde expetenda esse. Sane aulici, qui coram principe apparere volunt, uti et multi alii munditiæ studiosi quotidie mane utuntur speculo et pectine; multo igitur æquius est, ut nos vel hoc tempore, quo obviamus Christo regi nostro, idem faciamus animabus nostris. Hodie ergo accipiemus speculum (post octiduum pectinem:) et quæremus ex nobis ipsis, quod ex Joanne quæsierunt Judæi: *Tu quis es?*

I. Homo nimis audax et temerarius es, qui ausus es te opponere Deo, ejusque iram in te provocare. Quid enim aliud egisti, dum peccare attentasti? Perinde enim est, ac si de eo dixisses cum civibus, Luc. XIX. *Notumus hunc regnare*

super nos; vel id quod Jerem. II. dixit quidam: Non serviam. Gravissima reputatur rebellio erga principem: quanto vero gravius est abjicere Deum ejusque voluntatem spernere? Et nonne in manu Dei es ac pendes veluti vas figuli, quod dimissum mox in frusta concidit. Audi loquentem per jeremiam c. XVIII: *Numquid sicut figulus iste non potero vobis facere domus Israel? ait Dominus: Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea.* Et tamen vasa ista, (paulo inferius:) sub typo Jeremiæ Deo audent dicere: *Venite percutiamus eum lingua, et non attendamus ad universos sermones ejus.* Magna fuit temeritas cujusdam Poloni nobilis qui cum ejus pileum ad leonis caveam aliqui projecissent dicentes ut eum tolleret, si vir esset, sine mora ingressus est, et leonem comedentem in os percussit, dicens: *Dimitte ossa canis;* sicque cibum ei eripuit, leone immoto, in aula Mathiæ regis ungaricæ. Propter hoc enim homo temerarius ab aula remotus est, ut qui nihil non auderet, teste Olao libro V. cap. XXI. At millies millienies tu audacior es peccator, qui Deo te opponere tua prava voluntate, et colaphum quasi impingere, animamque tuam e manu ejus eripere, pro pileo, pro re fluxa et inani ausus es. Et non miraris, quod Deus hominem tam temerarium in mundo suo toleret? Leo de tribu Juda est Christus: *Quis suscitabit eum:* Gen. XLIX, quis bello lacerare et ad iram provocare audeat, qui aliquando rugitu suo totum mundum tremefaciet venturus ad iudicium? Imo etiam tremescit, cum in cruce penderet?

II. Homo nimis iniquus es, qui Dominum tuum e sua domo et possessione ejicere nequiter attentasti: non secus ac vinitores illi, qui filium Domini sui ad se missum ejecerunt extra vineam et occiderunt: Matth. XXI. Sic enim et tu Dei Filium, qui per gratiam suam ad te velut in domum suam descendit et in te habitare voluit, per peccatum admittendo dæmonem,

ejecisti, et quantum in te est, occidisti: dum causam ejus neci dedisti: necnon pretium redemptionis tuæ, quod pro te dedit, conculcasti. A re parva iterum magnam æstimemus. In vita S. Noberti episcopi Magdeb. scribit Hugo ejus successor in abbatia Præmonstratensi, quod cum is electus in episcopum Magdeburg. ad urbem et sedem suam archiepiscopalem capessendam, intraret residentiam, nudipes et paupere habitu (quem foris a primo urbis aspectu humilitatis causa assumpserat) a janitore palatii non agnitus, repulsus sit cum indignatione, dicente, ut hinc faceretur: jam satis multos pauperes intromissos esse: dominum suum episcopum expectari: non decere ut alii sordidi palatium præoccupent. Reclamant comites episcopi, quod ageret insanus? Esse hunc episcopum et dominum suum. Perterritus ea voce janitor, fugit illico præ metu, et se in latibulum abscondit, vultum domini sui metuens. Sed quæsitus et retractus, ab eo non difficile veniam accepit: Sur. VI. Jun. Jam vide quid tu egeris. Pastor et episcopus anima: nostrarum Christus est, II. Petr. II, hunc tu e domo sua repulisti, quia in animam tuam, sanguine ejus emptam, peccatum admisisti, capitalem ejus hostem. Non igitur tibi metues? Non dolebis? Sane quando Judæi post datum manna in Ægyptum reverti ad pristinam servitatem voluerunt, gravissime id exprobrans Hebræis Deus pœnam minatus est ea de causa: *Eo quod repuleritis Dominum, qui in medio vestri est:* Num. XI. quia scilicet manna meum spreveritis et carnes petistis: voluistis etiam redire in Ægyptum ad Pharaonem, sicque me inter vos habitantem repulistis; ideo dabo vobis carnem ad nauseam, sed in vestrum interitum. Repellunt a se Dominum, qui illicita concupiscunt, et ad mundum, carnem, dæmonem iter suum dirigunt, dum hostem Dei in cor admittunt: sic enim ipso facto Deum excludunt; cum nequaquam simul stent Dagon et arca. Corruit semel iterumque Dagon coram arca fœderis, quia dæmon stare nequit simul cum Deo: et tu nihilominus iterum statuis Dagon in corde tuo, ut cogatur Deus abire. Quanta hæc impudentia! Quanta Dei injuria! Quam pœnam non merebitur!

III. Homo ingratus nimis, quia *Dereliquisti Deum factorem tuum. Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit et fecit et creavit te?* Deut. XXXII. Immane scelus est parentes verberare, qui sunt quasi creatores nostri. Et si quis incius etiam patrem occidisset, quem dolorem non conciperet? Ultimo Othonis I. imperatoris prælio adversus Vitellium apud Bedriacum, postea Binam appellatum, Julius mansuetus Hispanus pro Othone in prælio pugnabat, filius ejus dum reductus in adversa parte conscriptus, contra

Othonem dimicabat, eoque in prælio, oblatum forte patrem vulnere stravit, hostem esse ratus. Ast ubi semianinem scrutatur ac spoliatur, agnoscit esse patrem suum: incredibili igitur animi dolore morientem amplexatur, flebilique voce cum lacrymis precatur patris manes, ne se ut parricidam insectari velint: Corn. Tacitus et Fulg. l. IX. c. IX. Ecce homo gentilis tantum concipit dolorem ob necatum patrem: et non dolebit Christianus, ob offensum Deum, a quo omnia accepit, quæcumque habet? Quod hic fecit, nesciens fecit: quid dicemus de eo, si sciens fecisset? Tu agnoscis Deum esse patrem tuum, creatorem et redemptorem tuum, teque ab eo nutriri, vestiri, conservari, et impugnari? Si quod telum esset, quod Deum necare posset, peccatum esset: quare proinde agis ac si gladium in Deum stringas ac vibres, incasso tamen ictu, gladio vel non scindente, vel declinante in alium. Quis non hic exclamet te reum læsæ divinæ majestatis? Alexander M. quod Clytum, qui Rosacis, Alexandro feralem ictum intentantis, manum absciderat, ebrius occidisset, altero die tantopere doluit, ut sibi ipsi necem inferre eodem telo, quod servatorem suum transfixerat, pareret. Quintus Curt. l. VIII. c. IV. Vide jam peccator quid tu peccandi libidine ebrius commiseris in Deum, summum benefactorem et servatorem tuum.

IV. Homo stultus nimis, qui pro exigua voluptate vendidisti æternam hæreditatem tuam. Nota est stultitia Esau, qui videns fratrem coquere rubrum lentis edulium, tam avidè id appetiit, ut pro eo venderet ipsi hæreditatem suam, Gen. XXV. Quod quidem is parvi pendit, quasi nolens servare contractum: sed ubi vidit se reipsa ex patris sententiâ jure suo privatum, *Irrugit clamore magno,* Gen. XXVII. Qui et propterea a collusoribus suis in derisum vocatus est *Eodem,* id est, *rufus;* quemadmodum et ipsius terra Idumæa. Hoc idem vero agere peccatores queritur Deus, Ezech. XIII: *Violabant me propter pugillum hordei et fragmen panis, ut Interficerent animas;* suas scilicet et alias. Pari igitur ludibrio excipientur in inferno a cæteris inferis et dæmonibus, et in confusionem vocabuntur *rufi* vel *rubicones* aut *lentuli*, quod pro exiguis voluptatum lentibus famem caninam æternam, pro rufa coctione rufum et tartareum ignem sibi compararint. Heu! Dicent, isti uno bolo devorarunt hæreditatem suam et cæleste patrimonium. Nos quidem pro cælo acquisivimus et aliquamdiu possedimus multas opes, delicias, honores, quæ suam inter homines æstimationem habent: at isti pro uno lentis edulio, pro re modicissima commutarunt regnum cælorum. O lentuli! O Idumæi! O rubicones!

V. Homo es peccatorum onere gravatus, tot meritis gehennas, quot peccata mortalia commisisti. Si enim uni mortali debetur infernus, ex omnium DD. sententia, quid debebitur sceleribus XXX. vel XL. nonne totidem inferni? Quemadmodum ergo Nabuchodonosor, Dan. III. cum audivit tres pueros crescere semper in constantia fidei, et ipse crevit iracundia, jussitque fornacem succendi in septuplum, ita ut ascenderet flamma cubitis XLIX. quæ prius ad VII. dumtaxat ascendebat: pari modo quo plura mortifera peccata tua addideris, eo plures tibi addentur inferni, seu totidem gradibus magis et magis accendetur inferni. Id insinuat Isaias c. XXXIII. ubi a clade Sennacherib, quæ combustis nocte 185000. milites, sermonem vertit ad alios peccatores, ut illorum exemplo et incendio temporalis respiscant et caveant sibi ab igne et incendiis sempiternis. Ait ergo: *Quis poterit ex vobis habitare cum igne devorante? Quis habitabit cum ardentibus sempiternis?* Cur ait, cum igne devorante? Quia nimirum vehementissimus et voracissimus ignis erit: multo magis quam ille, qui 185000. una nocte devora vit. Et cur non ait cum ardore, sed cum ardentibus? Quia scilicet peccatori, quo plura intulerit peccata mortifera, eo plures destinati sunt ardores et inferni.

Vide jam si vel unicum incendium tibi paratum scires, quid sentiret? Qua in angustia esses? Quid non molireris, quid non promitteres, ut evadere posses? Certe magnus ille debitor decem millium talentorum nihil non promisit se facturum, etiam ultra vires suas, ut ne venumdaretur cum suis, et tota cum substantia mergeretur: *Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi*, ait. Sed qui reddet tantam summam? Nimirum ad omnia se paratum exhibebat usque eo ad laborandum, donec sanguis ex unguibus effueret: ad omnia pericula, ad omnes molestias devorandas. Idem fac tu peccator et dic Deo: Quod si nec sic reddere quivero, veniam rogabo, ad pedes tuos jacebo; *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo*: in feriis natalitiis accedam ad pedes sacerdotis et lacrymis delebo Peccata mea: interim *Patientiam habe in me, etc.*

CONCIO II.

MOTIVA CONTRITIONIS, DESUMPTA EX PERSONA CHRISTI OFFENSA.

- I. Cogitet peccator quantum Dominum offenderit. —
- II. Quod agnum innocentissimum offenderit. —
- III. Quod suum judicem. —
- IV. Quod sponsum suum offenderit.

THEMA.

Medius autem vestrum stetit, quem vos nescitis, Joan. I.

Contingit Christo Salvatori nostro heu sæpius id, quod contigit Hebræorum duci Josue, qui et ipse salvatoris nomen et typum gessit. Venit is in terram promissam, cum Hebræis ingressurus civitatem Jericho, Jos. cap. VI. verum undique clausam, timore filiorum Israel invenit. Igitur Dei mandato constituit sacerdotes qui circumirent urbem et simul tubas inflarent. Factum ut imperatum, et ad sonitum tubarum corruerunt muri, cepitque urbem Josue. Cives Ierichunt peccatores sunt, qui Christo Josue ac Salvatori ad se ingredi, hoc imprimis tempore, cupienti, portas cordis peccatis oclusas tenent per impenitentiam. Quid igitur Christus? Jubet sacerdotes undique tubas inflare, et portas peccatorum murosque dejicere, quo introitus ipsi paretur. Hinc per adventum sæpius auditur Joannes ille præco Christi constanter intonans: *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini*, quasi dicat: *Aperite portas Christo Salvatori vestro, quia jam adest in medio vestrum, ingredi ad vos cupiens.* Superest ergo ut ego quoque tubam, meam inflem et partes meas agam. At quæ illa tuba, qua muros peccatorum lapideos subruemus? Subministrat eam Joannes in hodierno evangelio, extollens vocem ad turbam et clamans: *Medius vestrum stetit, quem vos nescitis.* Hunc ergo, quem ipsi nesciunt, nunc eis demonstrabo.

I. Nescitis, o miseri peccatores, esse Deum et Dominum vestrum, summæ majestatis et potentiam, cujus iram et indignationem in vos provocastis. Dic ergo illis Joannes, qualis et quantus est? *Hic est, inquit, cujus non sum dignus, ut solvam corrigiam calceamentorum ejus.* Quasi diceret: Indignus sum, ut inter infima ejus mancipia sim. Quid? Nescis Joannes te magnum coram Domino et plusquam prophetam? Nescis te præcursorem et baptistam Domini? Nescis te angelum esse, et quidem Christi testimonio? Scio hæc, dicet, sed scio etiam illum, qui de cælo venit, adeo super omnes esse, ut ego et alii nihil simus. Quod vilius officium, quam induere et extrahere domino calceos? Hoc tamen munere se indignum clamat, neque ait se indignum, qui calceos ei liget, quando sunt mundi et jam purgati, sed qui exuat illos, vel corrigiam solvendo, quando luto sunt obducti: neque qui stans agat, sed jacens et procumbens. Certe nos, si Joannes præsens esset, omnes hoc diceremus ipsi Joanni, quod ipse dixit Christo. Quanta ergo majestas ipsius Christi est? Quod si Joannes

illum vel in minimo offendisset, quid dicturus fuisset? Num adrepere ad ipsum ausus fuisset? Minime gentium. Quem ergo sanctissimus iste juvenis tangere vel in calceo non audet, quomodo vos peccatores ausi estis offendere, spernere, ridere, persequi, venumdare? Scimus capitale esse regem vel leviter offendere, quia peccati enormitas crescit ex magnitudine personæ offensæ. Tale apud Persas erat, regem adire nisi quis vocatus esset (ideo spiculate regem circumstant, ut hujusmodi reum acturum plecteretur: Esther IV. et apud Josephum eo loco, regis pellicem aspiceret vel conjugem este Diodoro libro XLI. feram in venatione ante ipsum telo petere, auctore Xenophonte et Plutarcho, in sella regis sedere, Diodor. auctore lib. XVII. ejusdem vestem laceram licet ac donatam induere, apud Plutarchum in Artaxerxe: manibus extra manicas exertis regi occurrere, apud Xenophontem lib. II. Cyri pædag. Hæc igitur capitalia sint, in hominem levissima delicta: quid erit in Deum gravissime delinquere, ejusque mandata justissima contemnere? Magnus etiam coram Deo fuit Isaias, hic tamen quando vidit majestatem Dei, et coram eo Seraphim velantes facies et pedes suos, quasi indignos, qui aspirent vultum illius, cepit venire in cognitionem enormitatis peccati, adeoque etiam sui, licet alioquin exiguus, idque deplorare dicens: *Væ mihi, quia tacui*, (quia scilicet peccata populi non insectatus sum, prout debui) *quia vir pollutus labiis ego sum, etc. quia Regem Dominum exercituum vidi oculis meis*, Isa. V. Non grande id peccatum erat; occur igitur illud adeo deplorat Quia aspiciens puritatem, sanctitatem et majestatem divinam quam nec Seraphini audebant intueri, deprehendit quam impurus et fædus esse coram Deo. Ecce sub Christo, *Curvantur, qui portant orbem*, (Job. IX.) pre cibis et sanctitate sua: et peccator non curvabitur? Non procidat ad petendam veniam?

II. Nescitis agnum pro vobis immolatum, prorsus innocentissimum, quem vos offenditis. Hunc vobis agnoscendum adeoque redamandum proponit etiam præcursor Christi (ut immediate subjicit hodierno e evangelio Joannes evangelista) quando scilicet ambulans Christum monstravit suis discipulis, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Agnum Dei appellat, quia agni, i. e. humilis, pauperis, inermis hominis formam induens, se obtulit in victimam Deo Patri pro salute generis humani. Hic est agnus ille seu aries, qui vepribus adhærens, Isaco immolando se substituit et pro ipso immolatus est ab Abrahamo, Gen. XXII. Isaac genus humanum pro peccatis suis mac-tandum significat, aries Christum in ejus locum

immolatum, ut docet S. Augustin. lib. XVI. de civitate, c. XXXII. Innocentissimus igitur pro nocentissimis oblatum est: et fieri poterat, ut eum in re aliqua homines offenderent? Quid enim non deberes illi, qui, dum in te vibratur ensis, suum pro te caput ictui subjeceret? Perpendite peccatores, quantum sit hoc beneficium. Venit hostilis exercitus et arcissime cingit nostram civitatem, nec inde vult recedere, donec tradantur ei cives ad interne-cionem, a quibus est offensus. Si jam aliquis innocens se pro tuenda civitate hostium furori objiceret, ut eorum iracundiam suo cruore extingueret, quid non deberent ei cives universi? Quis non obstrictissimum se ei fateretur? Hac de causa S. Franciscus adeo diligebat agnos, ut cum ad macellum ducerentur, sæpe eos redimeret; cumque aliquando agnellum mordicus apprehensum a porca necari cerneret, porcæ malediceret, (unde tabe periit) quia scilicet agnellus Christum pro nobis immolatum in mentem ei revocabat. Jam ergo quomodo non dolebunt peccatores agnum illum Dei pro se occisum, a se graviter offensum, et velut porci dentibus fœde esse laceratum.

III. Nescitis esse vestrum judicem, eumque severissimum et æquissimum. Hoc idem Joannes in sua concione Judæis inculcavit, dicens: *Cujus ventilabrum in manu sua: et permundabit aream suam; et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili*, Matth. III. Videns Joannes parum moveri Judæos ad pœnitentiam et fidem hunc fortio-rem malleum adhibet. Quis enim non compungatur, cum audit statutum esse diem, in quo Christus Ecclesiam suam expurgabit velut aream, in qua malos velut paleas leves, viles, inanes, inutiles separabit a tritico, h. e. ab electis, ventilabro judicii: et paleas quidem projiciet in ignem inextinguibilem, qui in æternum eos uret, nec tamen comburet? Rursum cum audit hoc ventilabrum jam in manu ejus agitari: et quotidie hoc officium tremendi judicis exercere? Cogitet ergo peccator quisque; quid si ego palea sim? Certe me virtutibus inanem, ad peccandum facilem video et pronum, hominibus non modo inutilem, sed etiam perniciosum. Igitur aliquando ventilandus in judicio sum? Et quid si hodie? Quid si cras? Non igitur separandus ab electis? Nonne in ignem perpetuum projiciendus? Et quomodo habitare poterò cum ardentibus sempiternis? Quid enim si in me sententia feretur, ut in rogum dumtaxat transitorium vel calciam fornacem injiceret? Quis mihi foret animus? Quantus horror? Quantis lacrymis fatigarem judicem et amicos, ut hoc periculum evaderem? Quid emendationis non promitterem? At hoc supplicium nihil